



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Aprilem, Majum, Junium


Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 10. De detractiōe.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60514)

Majus.



DIES X.

De Detractione.

I.

Facilius nihil est, quàm aliorum famam denigrare. Lingua, inquit S. Iacobus, inquietum est malum, nec in hominis esse potestate viderur, eam refrænare. Omnes animi commotiones cordis malignitati sociatæ ad obtrectationem incitant. Si quis odium fover, obtrectatio medium certum est, neque adeò periculosum ulciscendi; ubi invidia accedit, obtrectatio eò venenator est: alterius gloria umbram obducit nostræ; itaque illam obscurare debemus. Qui superbia laborat, (& quis ea penitus immunis est?) æstimationem suam cum alienæ depressione reddere vult majorem; qui ingenio pollet, id per subtiles obtrectationes ostentare cupit. qui ingenio caret, eo se præditum esse aliorum damno, audientibus persuadere, suosque defectus celare saragit, alienos traducendo. Virtutes ipsæ videntur hujus vitij participes esse velle. Sunt aliqui, qui è perverso zelo, sine ullo horrore proximum suum denigrant, & è malo occulto, sub specie ei mendacien

e) medendi, offensam publicam red- Majus
dunt.

II. Si peccatum obrectationis committere facile est, non minus difficile est illud sarcire. Restitutio boni alieni difficilis quidem est; sed honoris restitutio difficilior. Potest quis honorem suum rueri, furtumque, & probrum suum occultare, restitutione facta per tertium quendam, virum prudentem, & arcani observantem. At non ita se res habet in restitutione honoris; necessarium est, ut is, qui malum fecit, id per seipsum sarciat. Verum id sarcire ferè non potest, quin honorem proprium in discrimen vocet; cum id prestare non possit, nisi palinodiam canendo, atque hanc canere vix potest, nisi fateatur, se hominem fuisse imprudentem, levem, mendacem, vel malevolum; poteritne homo, qui nec verbum retinere potest, tantam sibi vim inferre? poteritne homo, qui tam parùm virtutis habet, tam difficile facere sacrificium? an non satius est hoc peccatum vitare, quàm obligatum se videre ad famam alterius tantis impendijs sarcendam?

III. Verum, etsi difficile sit honorem per obrectationem ablatum restituere, in nostra tamen id potestate est, & omnino necessarium: si enim potestatem nostram
I
exce.

Majus,

excederet, ab hac obligatione liberi essemus. At hoc pessimum est, quod, cum id præstare possimus, difficillimum tamen nobis accidat. Verum deterius adhuc est, quod præter summam hanc difficultatem tantæ sit obligationis, ut omnes cæli, terræque potentia eâ te eximere non possint. Ecclesia grandi potestate pollet; sed hac res solvendi potestatem non habet. Virtus Sacramentorum maxima est; eò tamen se non extendit, ut culpâ liberare te possit, nisi proximo tuo famam suam restituas, farciendo malum, quod ei detractioe tua intulisti. An non habes, quod hac super re exprobrare tibi queas? anne injuriam ei illatam sarcire differes eò usque, dum procrastinatio tua illam irreparabilem, teque omni excusatione indignum reddiderit?

Inquire in te ipsum, ut cognoscas, an non obrectationem aliquam admiseris, quæ te ad restituendum alteri honorem obliget? & statue, si hujusmodi obligationem in te deprehenderis, quantocytus satisfacere.

Linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero. *Iac. 3. 8.*

Esuriendi libido terminum habet, detrahendi libido non habet. *Salvian.*

DIES